



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo**

**Zype, Frans van den**  
**Antverpiæ, M. DC. XLV.**

Resp. II. De immunitate homicidarum non proditorium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

teret, literas fregit. Quæ circumstantiæ valde in crimine læsæ maiestatis considerandæ sunt, *l. famosi. §. hoc tamen. D. ad l. Iul. maiest. VVesenbec. vbi sup. n. 6.* atque ita arbitrariè tantum puniendus est. *Boër. & citati à VVesenb. vbi supra.* quamuis crimen maiestatis factò, vel violatis statuis, vel imaginibus maximè exacerbetur in milite. *d. l. famosus. in fin.* cum aliàs extremum supplicium læsæ maiestatis reis debeatur. *l. 1. 2. 3. 4. D. l. quisquis C. ad leg. Iul. maiest.* Cæterum si qui imagines, statuas, arma, titulos Principis deiiciunt, atque confringunt, quo ostendant se ab eo deficere, & alterius fortè Principis arma refigunt, quem adsciscunt, cū primariò ea res tendat in Principis, & reipub. læsionem, non minus ferè quàm si attentaretur in ipsius personam, procul dubio ad supremum gradum læsæ maiestatis id pertinet. perduellionis & rebellionis crimen habet. *d. l. 1. D. ad l. Iul. maiest.* cum opera sint ea rebellionis, adeoque eorum poenæ debeantur. *extranag. qui sint rebelles.*

Sed quoniam maiestatis reos extrahere ex loco sacro per dictam Gregorij XIV. constitutionem non licet, nisi in personam ipsius Principis crimen commissum sit, obstat ea constitutio: nisi fortè de primis rebellionis authoribus agatur. cum Reges & Principes, qui reip. causâ sunt, sæpe minoris æstiment commissâ in personam suam, quàm maiestatis suæ reputam, & reip. euerfionem.

## RESPONSVM II.

*De immunitate homicidarum non proditoriorum.*

Quàm difficilis est inquisitio an homicidium ex proposito, industria, insidijs, & proditione sit commissum; tam pericu-

losum est telū bombardæ, sceloporum, & multis casibus fortuitis obnoxium. Christophorus Joannè bombardæ traiecit; ad ecclesiam confugit: quæritur an asylo gaudeat: & ex factò an fortuitum sit homicidium; an præmeditatum, an ex insidijs, & proditione; & ex quali ex his ad ecclesiam confuga immunitatem consequatur?

Ea de re diximus in *l. part. non anal. h. 1.* non proditorium homicidium, quamuis præmeditatum, industrium, atque insidiosum immunem esse: ex bulla Gregorij XIV. quæ homicidia proditorios aut assassinos, aut homicidia in ecclesijs, aut cimiterijs committentes dumtaxat excipit, & insidiarum tantum meminit quoad latrones & grassatores, itinera frequentata, vel publicas stratas obfidentes; qui viatores ex insidijs aggrediuntur. addit Diana. *tract. de immunitat. ecclesiarum ref. 33.* non tantum præmeditatum, *ref. 5.* insidiosum, *ref. 35.* inimicum reconciliatum, & ut videtur, venenosum immunitate gaudere: quod bulla Gregorij proditorios dumtaxat excipiat, ut diximus: adeoque corrigat ius commune: *c. 1. X. de homicid. industrium & insidiosum repellens, & reconciliatus cauere debuerit, quasi semper inimicus: & proditio non fit, vbi nullus unquam præcessit rancor: neque proditor, qui occidit inimicum a cerigo. d. ref. 5. & 35.* vbi in eam sententiam Bartolum citat. & *plures alios.*

Et quamquam *vbi supra n. 10.* industrios & insidiosos homicidas non repelli existimarem; non tamen id tribui iuris communis correctioni, sed interpretationi cum nullibi dicat ipse Gregorius se canones extractionem permitteutes restringere: sed contra *aliquid ad terrorem, inquit, delinquentium, & ad coercenda facinora ultra id, quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum nec-*

4.  
Quamuis  
in milite  
gravius.

5.  
Perduellio  
asylo an  
priuet.

7.  
Cedes per  
bombardæ  
vt ambig.  
ua.

mam præscripsit, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittimus. Quod ut planum sit, legendum est c. inter alia X. de immunitate. ubi respondet Innocentius III. his verbis, quantumcumque gratia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus: & infra, nisi, inquit, publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum; qui dum itinera frequentata, & publicas vias obfides aggressionis invidijs, ab ecclesia extrahi potest. quæ exceptio facit ut in non exceptis stet regula. adeoque illam patitur d. c. 1. ex antiqua lege defunctum. Ab hac autem regula ulterius excipit Gregorius ultra antiquorum canonum normam, qui proditoriè proximum suum occiderint, aut a lassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei sint, & rursus quæ homicidia & mutilationes membrorum in ipsis ecclesijs earumque cimiterijs committere non verentur. quam exceptionem post Innocentium dedit Gregorius IX. in c. fin. X. de immunitate. iisdemque verbis. qui, sicut ibi exempli, non restrictionis causa ponuntur; ita excipi hic debere diximus. ubi sup. ut maneat iuris ibi probata ratio, quod in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium innouet, qui committit in legem.

Et verò quod Diana ref. 1. contendit omnia à Gregorio XIV. ad unam formam esse reducta; adeoque & ius commune; non rectè citat. sed omnia, inquit Gregorius, & quantumcumque privilegia, indulta, & gratias à prædicto Sixto & c. ut illa uniuersalitas restricta sit ad priuilegia, indulta, & gratias. nec aliter facit Gregorius mentionem iuris communis. & ubi ad finem agit de clericis (nam præcedentia expressè tantum loquuntur de laicis) sæcularibus, & regularibus, etiam militibus quorumcumque Ordinum; prohibet, ne laici etiam in casibus exceptis se intromit-

tant: etiam vigore priuilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ inquit, omnia ad terminos iuris præsentis reducimus: adeoque ad terminos dicti c. inter alia. d. c. fin.

Neque verò his aduersatur finalis clausula, ne quid attentetur præter aut contra illius constitutionis tenorem, quouis prætextu; adeoque nec iuris anterioris: quippe iuris euentia, prætextus non non dicitur, sed color quæ situs. ut foret derogatorum iam priuilegiorum, indultorum, gratiarum, concessionum; quin & consuetudinum. quippe vel antiquissimus vsus ideo maximè sustinetur, quod vim priuilegij habere censetur: si ergo derogatur expresso priuilegio, videbitur præsumpto magis, & tacito esse derogatum. dum iuuant verba d. constitutionis, approbata, immouata, ac vsu recepta. mens etiam expressa illis verbis, ac differentias huiusmodi ad uniformem regulam reducere, & iterum sublata penitus omni differentia. vsuum utique & consuetudinum, de quibus etiam præfatus erat Gregorius.

Apparet autem Gregorium ita canones veteres intelligere, ut nulla crimina in d. c. inter alia. & in d. c. fin. non excepta excludant ab immunitate; ut nec ex paritate, identitate, aut maioriã rationis, ut olim scriptores, admittat extensionem, alioquin non ipse ad terrorem, quod ait, casus extractionum non permittos moderatus esset, sed restrinxisset, terroremque minuisset. neque breuia aut rescripta quæ citat Diana r. 1. generaliter statuere videntur; sed ex particularibus loci antè priuilegiati, alijsque circumstantijs: adeoque, exceptis casibus delinquentium in ecclesia, Dianæ sententiæ accessero ex hac iuris interpretatione, non correctione. ut nec extractio sit licita proditoriè tantum lædentis, aut aliam nobili impingentis. quia Greg. homicidium actumque consummatum requirit

6.

7.

8. Eoque qui rei hodie gaudent aylo?

rit. *de quo ille ref.* 4. 24. 31. lædentis Principem de facto recognoscens superiorem: quia non habent maiestatem, quam exigit bulla. r. 6. nec supremi Principis status: r. 7. quia bulla exigit performam: nec consiliarios: r. 20. carcerum effractores, falsarij r. 19. pagani, saraceni, infidelis: r. 22. quia non persona, sed locorum reverentia spectatur: apostata: r. 23. clerici: r. 24. si ad sanguinem quaratur, non si ad correctionem. nam etsi bulla prius loquatur de laicis, ad requisitionem sæcularium Iudicum extrahendis; tamen ad finem de clericis, & ecclesiasticis personis vetat sæculares se intromittere, priuilegia contraria seducit ad terminos iuris; quod indistinctè tribuit immunitatem religioso. r. 25. *Marth. de iurisd. part.* 4. cap. 59. non aufert hæretico in loco ubi hæresis non punitur: r. 29. fraudulento decoctori. r. 32. occidenti clericum: r. 34. excommunicato: *ibid.* blasphemus: r. 38. 39. damnato ad tremes: r. 40. Quoad autem delinquentes in ecclesia, cum d. c. fin. & bulla huius, ut diximus, eadem sint verba, eandem esse mentem credendum est. nouamque legem capere interpretationem ex antiqua, illiusque rationem, eoque non tantum in ecclesia furantes, *ut diximus in tur. pont. anal. de Immun. n.* 10. sed & alia crimina committentes asylo non gaudere dicendum est. secus quam existimet Diana r. 2. 9. 10. 11. 13. 17. 21. 25. quare etsi fraudulentus decoctor in narratiuis verbis à Greg. XIV. referatur; non tamen in dispositiuis exceptus gaudeat asylo, ut diximus. si tamen manet in nequitia, bona codicesque occultat, iam peccat in ipsa ecclesia; præsertim si de hoc monitus, pertinax maneat, eoque extrahi meretur hoc nomine: quamuis non publici latronis à Greg. excepti, qualem hic censeri rectè negat Diana p. 1. t. 2. r. 31. etsi à Pio V. vt

fur publicus alioquin puniri iubetur. Id verò etiam noui iuris est in d. bulla, quod reorum extractio fiat remota appellatione, vt tamen omnis euitetur error, solum Episcopis, & eorum Officialibus, nullis autem inferioribus, quamuis Ordinarij sint, extrahendi licentiam dare permittit. & solus cognoscit Episcopus, seu ab eo deputatus, crimina excepta confugæ commiserint. & tunc per Iudicem ecclesiasticum, & de mandato tamen Episcopi, confignantur seculari.

Igitur dicendum est præmeditatum quamuis indultrium, & infidiosum homicidam dummodo non proditorium aut assassinum neque ex iure communi neque ex d. bulla, immunitate asyli priuari. Restat ergo videre quod hic genus homicidij interuenierit. exactè Menochius *de arbitrar. cas.* 361. disquirat, quo modo animus deliberatus in homicidio probetur: producitque aptissimum Ciceronis locum l. 2. *de inuent. caus. diffri.* buitur, inquit ille, *in impulsione & ratiocinationem. Impulsio est, qua sine cogitatione per quandam assensum animi facere aliquid hortatur. ut amor, iracundia, agridudo, vinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, ut rem perspicere cum consilio & cura non potuerit: Et id quod fecit impetu quodam animi patitur, quam cogitatione fecerit: ratiocinatio autem est diligens & considerata faciendi aliquid, aut non faciendi cogitatio. Et l. 10. off. in omni, inquit, iniustitia permulctum interit, carum perturbatione aliqua animi que plerumque breuis est, & ad tempus, an consilio, & cogitatio fiat iniuria. Leuora enim sunt ea, que repentino aliquo motu accidunt, quam ea que meditata, & preparata inferuntur. ita Cicero; quæ secundum leges latè explanat Menochius. cas. 361. *de arbitrar. & 20.* coniecturas refert, quibus probetur meditatio, atque propositum. *quod etiam exactè enucleat Mascard. de probat. corò.**

verb. homicidium conc. 864. idem-  
que Menoch. de presumpt. l. 5. pres.  
40. & 10. ubi ait n. 3. & seqq. im-  
munitate non gaudere, qui sub il-  
lius spe homicidium committit: &  
n. 16. spem praesumi, ubi reus sta-  
tim a perpetrato crimine ad eccle-  
siam confugit. sed cum Gregorij  
XIV. constitutio huiusmodi spem  
non recenseat, nec in c. inter alia,  
nec in c. fin. de Immun. excipiatur;  
admittenda non est. & exceptio;  
Layman theol. mor. l. 1. c. 3. n. 7. post  
Abbat. Ang. Nau. Zur. manet tamen  
praesumptio propositi: quam etiam  
recipit Martha. de iurisdic. p. 2. c.  
51 n. 2. hanc nostram confugae obijci-  
tur, aitque vnus testis explosa bom-  
barda fugisse ad ecclesiam ita statim,  
vt ille diceret laesum apparere ab  
explosione, & ad chirurgum currere.  
alius tamen testis contra ait, ex-  
plosione facta perrexisse in suo iti-  
nere domum suam versus; & de-  
mum postea vertisse se ad ecclesiam:  
& reus in examine se demum esse  
regressum ait postquam filius ob-  
uius ei nuntiavit aliquem esse laesum.

Altera coniectura est ex genere  
armorum, de qua in l. 1. §. diuus. D.  
de sicar. Menoch. d. pres. 40. c. 36.  
sed rursus nullum huiusmodi genus ar-  
morum magis est subiectum for-  
tuitis casibus, quam bombardae.

Et quoniam quilibet natura bo-  
nus esse praesumitur, sine dolo, &  
delicto: Menoch. de pres. l. 5. pres. 1. 2.  
3. & accusare non sufficit; sed ho-  
micidium meditatum esse probari  
debet: significat. d. de homicid. eo-  
que vnus hic testis ait se, videntem  
bombardam vertere reum ad co-  
ronam militum, in qua stabat, di-  
xisse quid de re decerneret in nos  
bombardam vertit: contra alius te-  
stis ait se videri explosam, ad-  
uersus fossam, seu aggerem, & glo-  
bum excitasse puluerem, & dixisse  
quod imperita esset, & periculosa  
talis explosio, reus ait in examine,  
se exonerare voluisse bombardam  
cum domum iret; antea oneratam  
cum putaret se foras iturum: exo-

nerasse autem aduersus aggerem,  
& in ipso actu posteriorem bom-  
bardae partem non nihil decidisse,  
anteriori esse eleuatam; & sic  
globum potuisse attingere supe-  
riora aggeris, & verti in occisum.

Arguitur contra, quod in carce-  
re rogatus a socio, responderit se  
voluisse honorariam explosionem  
facere, eum n. eers. sicut; & incidisse  
in hoc infortunium: talem autem  
explosionem non solere in fossam  
dirigi: & more militari domum re-  
gredientes vt exonerent bombar-  
dam, sursum in aera explodere:  
ergo obtinere verum vulgarem,  
Omne male factum praeu. pra. unitur  
actu. c. 1. & de pres. at contra rur-  
sus ille testis progressum esse reum  
nulla corporis turbatione, quasi non  
conscium rei male gesta. refertur  
etiam in actis immediate ante fuisse  
in hospitio. vt non incredibile sit  
turbasse, aut in explosione non fir-  
miter constitisse, & quod allegat,  
bombardam anteriori eleuatam  
posteriori parte depressam; si-  
cutum esse ex potu, quamuis non  
fuerit plena ebrietas.

Denique asserit idem testis, se  
vidisse in explosione, reum nulla-  
tenus collimasse, vt fieri solet ab  
ijs, qui globum in scopum certum  
dirigunt: & ex plurium testum di-  
ctis constat difficile fuisse in vnum  
singuliter explodere, sine peri-  
culo aliorum, qui erant in corona:  
imò impossibile si duobus globis  
bombardae fuisset onerata: alios  
autem amicos fuisse rei, quod  
praesumptionem nocendi tollit:  
Menoch. d. pres. 40. n. 15. & seqq. &  
pro reo facere, quod aduersus eum  
supra allatum est, dictum fore in  
carcere, tanquam a deplorante in-  
fortunium. vt ex Grammat. idem Me-  
noch. n. 29.

Ad extremum allegatur pugna,  
quae ante aliquot septimanas con-  
tingerat inter reum & occisum, reo  
tunc occisum ex domo ad pug-  
nam euocante; vt ait, ob symposi-  
um, & negationem vltioris  
potus,

10.  
De homicidii  
cōmittente  
spe immu-  
nitatis.

11.  
Indicium  
propositi.

12.  
De genere  
armorum,  
& praesum-  
tione ani-  
mi ex bo-  
barda.

23.  
De praesum-  
tionibus  
& reconci-  
liatione.

potus, ab vxore rei factam; & rixas tunc secutas. Sed & cum ab aduocato rei responsum esset interuenisse reconciliationem; replicatum est per hoc dilemma; si mansit rancor, præsumptio est præmeditati animi: si reconciliatio interuenit, proditorium est iam amicum nihil amplius mali cogitantem, aut cauentem, & qui eodem die paulò antè quasi exituro reo felicem fortunam apprecatus fuerat, trajicere. Reus in examine dixit expressam non interuenisse reconciliationem cum occiso; sed tantùm pluries post pugnam simul eos combibisse, de qua computatione etiã ex testimonijs constat: eoquæ formatur contrarium hoc dilemma: si reconciliatio fuit vera, more Belgarum; præsumptionem esse pro reo, & infortunio; non præmeditato proposito: si reconciliatio habeatur pro non vera; tunc eodem modo Italico dicendum, non videri proditorium homicidium inimici reconciliati: secundùm Dianam: præsertim quod accidit intra paucos à reconciliatione dies, ut Menochius alijsq; auctores ubique. quod tempus, etsi Menoch. d. cas. 361. n. 18. & alibi arbitrium facit; tamen ex ratione legis si vindicari. C. de pen. & c. cum apud. 11. reg. 3. ad dies triginta, seu aliquot septimanas ita durare dicendum videtur; ut impediatur sedatam cogitationem; tollatque omnem animi perturbationem; dum aliud non probatur. neque enim solum homicidium sufficit, d. c. significauit. X. de homicid. ideoque Malcar. d. conc. 864. n. 27. & segg. querens an accusator animi propositum, an reus infortunium probare debeat? concludit vtrumque probationes inducere: reum; ut absoluat: l. 1. C. de sicar. accusatorem; ut ille damnetur. d. l. 1. §. diu. D. eod. ex re, inquit, constituendum hoc, nam si gladium strinxerit, & in eo percussit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse: sed si

clauis percussit, aut cucuma, in rixa, quamuis ferro percussit; tamen non occidendi animo, lenendam penam eius, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit.

Porro in dubio quamuis conie. Auræ proferantur pro accusatore, & aliæ sunt pro reo; nec iam indubitatè, ut loquitur Iurisconsultus, occidendi animus probatur; fauorabiliores sunt partes rei, quam Actoris. aded vt accusato aliqui deferendum censeant iuramentum, super animi intentione citati à Malcar. ubi sup. n. 20. cum Pontifex d. c. significauit sola assertionem rei fuerit contentus, & circa grauia etiam crimina, quando verisimiles tantùm sunt conie. Auræ, indicatur purgatio canonica. c. 1. 4. & tot. tit. X. de purg. canon.

Id quod in hac materia immunitatis ecclesiasticæ eò magis est admittendum, non tantùm quod multi contendunt poena ordinaria homicidij puniendum non esse, qui tantùm præsumptionibus conuincitur: Menoch. de præsum. l. 4. p. 97. lib. 5. p. 41. n. 15. sed ideo maxime quòd in dubio respondendum sit pro ecclesia, adeoque nullius immunitate. c. fin. X. de re iud. eademque immunitas non fit concessa in gratiam criminolorum; sed ipsarum ecclesiarum; reuerentiæque diuinæ. eoque non tam in causa sua reus, quam ecclesiæ testari videatur. quod canones in monacho pro monasterio admittunt. c. cum nuncius. c. in super. X. de testib.

Et quamuis daremus non leues tantùm insidias, industriam & frastagem hic esse, sine quibus vix soleat esse homicidium præmeditatum, Menoch. d. cas. 361. n. 30. sed & subtiliter cogitatas; iterum redit solutio hæc; insidiosum homicidam à Gregorio XIV. non arceri ab asylo. quem plures à proditorio malè non distinguunt. Restat igitur inquisitio proditoris,

14.  
An accusator propositum, an reus infortunium probare debeat?

tionis, etiam posita præmeditatione, & excluso infortunio. & memoria repetendum est dilemma, quod supra est positum; ut quamuis admittamus reconciliationem, per actus computationum; nullibi tamen in actis ponitur, aut probatur, specialis aliqua amicitia vera, aut simulata inter reum & occisum; quæ ad qualitatem proditorij exigi videtur. *Menoch. d. cas. 361. n. 24. Diana & citati vbi sup. & alij passim.* ut osculum ludæ, cædes Abner, & Amasæ à Ioab facta, Vriæ per Dauid, & aliæ ab authoribus *d. n. 24. citatis* allatæ.

Proditorium quidem diuersimodè accipitur: ut est apud Farinac. *q. 18. n. 74. & seqq. Tulum v. proditor. conc. 896.* propriè tamen respectu priuatorum proditor dicitur qui sub clypeo, prætextu, colore amicitia offendit. cum ergo de præiudicio priuilegij ecclesiæ minuendo agitur, verba nouæ constitutionis strictè sunt interpretanda de eo, qui dum se

amicum ostendit, seu fingit, aliud facit. *l. 1. D. de prauaricat. l. athletas. §. pen. D. cod. c. transferunt. 24. q. 3. c. omnis. X. de pœnit. & remiss.* quamuis enim, qui eum, qui neque amicus est, neque inimicus, offendit sine prædia diffidatione, ut loquuntur, accedere ad proditores videatur; plurimumque ea sit segretia, tamen axioma illud, *nemo volens percutere dicit, caue;* significat latam illam esse acceptionem: in fauorem autem ecclesiæ mox diximus verba bullæ strictè esse accipienda. nam summa est ratio, quæ pro religione facit. & vbi diuersæ sunt iudicum sententiæ, statur illi, quæ fauet piæ causæ. *c. vlt. X. de sent. & re iud. quanto magis id obtinere debet, vbi tantum Interpretes dissentiant? nisi altera opinio esset euidenter iniqua. Tiraguell. de priuileg. piæ causæ priuileg. 147.* sed piæ causæ semper fauendum est, & secundum illam in dubio iudicandum. *idem priu. 146. 148.*

<sup>19.</sup>  
In dubio  
sententiã  
pro immu-  
nitate.

<sup>18.</sup>  
Prodito-  
rium vt sit  
accipien-  
dum?

# LIBER QVARTVS

## De sponsalibus & matrimonio.

### RESPONSVM I.

*De matrimonio inuito, nec  
intelligente parochio  
attentato.*



Vod à Concilio Trid. statuitur *f. 24. de reform. mat. c. 1. §. qui aliter accipiendum est, vt in l. coram Titio D. de*

<sup>1.</sup> Valer coram inuito modo intelligat.

*verb. signif. l. diem §. coram D. de arbit. vt & scire debeant parochus & testes, & intelligere quid aga-*

tur. non etiam consentire. *scire,* inquit d. l. coram, *non etiam velle debet: nam & inuito eo rectè fit quod iustum est.* in eamque sententiam Cardinales Concilij Interpretes sæpius responderunt, validè contrahi matrimonium coram parochio, & testibus inuitis, mutuo contrahentium consensu intellecto. *d. c. 1. scire ergo, intelligere, videre, in conspectu habere, oculis, audituque percipere parochus debet actum, agentesque.* *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. d. c. 1. n. 79. diximus in Consult. can. de sponsal. & mat. conf. 3. & 4.*

Negat hic Pastor se vidisse

S 4 luue-